



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. IV [i.e. VI]. Quid addat gratia Sacramentalis supra gratiam
habitualement?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

rem, & in illis angustiis difficillimum sit elicere contritionem: Ergo credendum est, clementiam divinam instituisse, & ordinasse, ut hoc sacramentum tunc illi subveniat, & per accidens primum gratiam conferat. Et hoc sibi persuadent fideles, cum adeo solliciti sunt non discedere sine Extrema Unctione, quamvis non sit sacramentum tantæ necessitatis, sicut Baptismus, & Pœnitentia. Si autem hoc concedendum est Extreme Unctioni, ut fatetur Delugo, non est cur Eucharistia denegetur: tum quia ipsa fontem gratiæ & vitæ continet: tum etiam, quia sicut de Extrema Unctione dicitur Jacobi 5. *Si in peccatis sit remissus ei*; ita Ecclesia petit, quod Eucharistia sit *ablutio scelerum*.

§. VI.

Solvuntur objectiones.

Contra conclusionem istam obijciuntur primò: Sacramentis nullum effectum ex opere operato attribui possumus, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum, aut traditione Patrum acceptum, aut Scripturæ traditum sit, aut saltem ex illorum propria natura & institutione efficaciter deducatur: Sed nihil horum habemus, ut productionem primæ gratiæ, etiam solum per accidens, sacramentis vivorum tribuamus: Ergo illorum effectum ipsis adscribere non debemus.

Secundo, Sacramentum Confirmationis est in vita spirituali, sicut potentia augmentativa in vita naturali; & Eucharistia, sicut potentia nutritiva. Sed potentia augmentativa, & potentia nutritiva, essentialiter præsupponunt vitam naturalem: Ergo similiter sacramenta Confirmationis & Eucharistiæ, essentialiter supponunt vitam supernaturalem animæ, quæ habetur mediante primâ gratiâ, & consequenter nunquam etiam per accidens illam conferunt.

Tertiò, Cibus quantumcumque applicetur mortuo, non potest ei vitam restituere: Ergo similiter sacramentum Eucharistiæ, quod est per modum cibi spiritualis, applicatum animæ per peccatum mortuæ, non potest, etiam per accidens, illi vitam gratiæ restituere.

Quartò, Qui solum attritus putat se esse contritum, non magis dici potest sufficienter dispositus ad sacramenta vivorum, quam qui solum attritus cognoscit se esse tantum attritum; quod enim putet se esse contritum, hoc oritur ex ignorantia: ignorantia autem non facit hominem magis dispositum ad effectum gratiæ: Ergo non magis recipit effectum sacramenti, subindeque primam gratiam, quam qui sciens se esse tantum attritum, accederet ad Eucharistiam.

Ad primam respondeo distinguendo Majorem: sacramentis nullum effectum attribui possumus, certo & tanquam de fide, aut tanquam demonstrabile demonstratione Theologica, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum sit &c. concedo Majorem. Sacramentis nullum effectum attribui possumus, probabiliter & conjecturaliter, nisi &c. Nego Majorem; ad hoc enim sufficit quod ille effectus qui sacramentis adscribitur, non adversetur doctrinæ Scripturæ, determinationi Ecclesiæ, & traditioni Patrum, & verissimiliter ex ipsa institutione sacramentorum, eorumque excellentia deducatur, maxime si graves Theologi ita sentiant, quæ omnia concurrunt in præsentia materia. Nam in primis nullus locus Scripturæ, aut traditionis Patrum, aut deter-

Tom. V.

minationis Ecclesiæ, hæcenus objectus est, cui nostra opinio videatur adversa. Secundo id verissimiliter deducimus ex institutione, natura, & nobilitate sacramentorum legis gratiæ; cum enim, ut dicebamus, Christus instituerit sacramenta novæ legis, tanquam instrumenta & organa suæ gratiæ nobis conferendæ, verissimile est, instituisse ut eam conferant omnibus qui impedimentum ipsi non ponunt: qui autem solum attritus de peccato, existimant bonâ fide se esse contritum, nullum videtur apponere impedimentum gratiæ recipiendæ in sacramentis vivorum. Cui congruentia generali pro omnibus sacramentis vivorum, addi potest specialis pro Eucharistia, nimirum quod cum realiter Christum contineat, qui est fons vitæ, verissimile est quod potest mortuos morte peccati vivificare. Denique D Thomas, & communiter eius Discipuli, alique celebres Theologi extra ejus Scholam, quos supra citavimus, ita pie sentiunt.

Ad secundum respondetur quod licet sacramentum Confirmationis, & sacramentum Eucharistiæ, sint per se in vita spirituali, sicut potentia augmentativa & potentia nutritiva in vita naturali, sunt tamen etiam interdum, licet solum per accidens, sicut potentia generativa.

Ad tertium respondetur, cibum quidem materiale qui convertitur in substantiam aliti, mortuo applicatum, esse in capacem vitam ei restituere; cibum tamen spirituale Eucharistiæ, qui est vita per essentiam, & qui alitum potest in se convertere, posse etiam hominem mortuum morte peccati, sed tamen de eo attritum, attritione quam bonâ fide credit esse contritionem, vivificare; præsertim cum homo ille non sit ita mortuus, quin possit aliquem actum vitæ supernaturalis, licet imperfectum, exercere, manducando cibum illum, etiam aliquo modo supernaturaliter, videlicet illum suscipiendo cum fide & reverentia.

Ad quartum distingo Antecedens: Qui solum attritus putat se esse contritum, non magis est dispositus positivè ad sacramenta vivorum, quam qui solum attritus cognoscit se non esse contritum, concedo. Non magis est dispositus negativè, nego, ignorantia enim ipsius facit ut non indignè accedat ad hoc sacramentum.

ARTICVLVS IV.

Quid addat gratia sacramentalis supra gratiam habitualement

Supponit titulus, gratiam sacramentalem (id est per sacramenta productam) addere aliquid supra gratiam habitualement, imò & supra virtutes & dona Spiritus Sancti, quæ ad instar passionum consequuntur infusionem gratiæ habitualis. Et ratio evidens est, Nam ille qui extra sacramentum justificatur, habet gratiam habitualement, virtutes omnes infusas, sicut & dona Spiritus Sancti, nec tamen habet gratiam sacramentalem: Ergo signum est illam aliquid addere supra gratiam habitualement. In hoc ergo conveniunt omnes Theologi, sed dissident in explicando quod sit illud superadditum: Divus enim Bonaventura, Richardus, & Gabriel, existimant gratiam sacramentalem non addere supra gratiam gratum facientem, nisi respectum ad sacramentum tanquam ad causam: ita ut in hoc solum hæc duæ gratiæ differant, quod gratia gratum

I ij

faci-

faciens, quæ non est sacramentalis, causatur à solo Deo, illa verò quæ est sacramentalis, fit effectus non solum Dei, sed etiam & simul sacramenti. Paludanus verò & Capreolus docuerunt gratiam sacramentalem addere gratiæ gratum facienti alium particularem habitum realiter ab ea distinctum quem vocant regenerativum in Baptismo, corroborativum in Confirmatione, nutritivum in Eucharistia, & sic de aliis. Alii autem fatentur quidem illud quod addit gratia sacramentalis supra gratiam gratum facientem, non esse alium distinctum habitum, dicunt tamen esse modum aliquem seu perfectionem aliquam intrinsecam, modaliter ab ipsa gratia habituali distinctam. Ita Cabrera, Nufio, Choquetius, Joannes à S. Thoma, Marcus à Serra, & Martinez à Prado. Demum alij Thomistæ communiter docent illud quod gratia sacramentalis superaddit gratiæ gratum facienti, non esse aliud præter auxilia specialia, pro specialibus sacramentorum effectibus necessaria, sive jus aliquod morale ad illa.

§. I.

Triplici conclusione difficultas resolvitur:

Dico primò: Gratia sacramentalis non est gratia habitualis, additâ solâ connotatione ad sacramentum, tanquam ad causam.

198. Probatur primò: Si gratia sacramentalis præter respectum ad sacramentum nihil adderet gratiæ gratum facienti, frustra tot sacramenta, tot & tam diversis cæremoniis celebranda, à Christo instituta fuissent, cum unumquodque sæpius iteratum, id

199. omne quod singula præstare potuisset.

Secundo, Non magis esset effectus proprius sacramenti Extremæ Unctionis tollere reliquias peccatorum, quam Confirmationis, præsertim cum in Confirmatione major gratia gratum faciens conferatur: neque esset magis proprius effectus sacramenti Confirmationis, robur ad fidem Christi protestandam, quam sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ, utpote cum tria illa sacramenta in hoc conveniant, quod singula ex eis conferant gratiam sanctificantem, cum omnibus virtutibus & donis, tanquam proprietatibus concomitantibus.

200. Dico secundo: Gratia sacramentalis non est aliquis habitus à gratia habituali, & virtutibus ac donis ab ea profluentibus, specie distinctus.

Probatur primò: Gratia sacramentalis facit hominem Deo gratum, aut magis gratum: At si esset habitus à gratia gratum faciente realiter distinctus, non redderet hominem Deo gratum, vel magis gratum, cum reddere hominem Deo gratum, fit effectus proveniens à sola gratia habituali, quæ specie multiplicari nequit: Ergo gratia sacramentalis non est aliquis habitus à gratia habituali specie distinctus.

201. Probatur secundo: Frustra ponuntur habitus distincti à gratia sanctificante, & virtutibus ac donis ab ea profluentibus, infundi per sacramenta: Ergo gratia sacramentalis non est aliquis habitus, à gratia habituali, & virtutibus ac donis realiter distinctus. Consequentia patet, Antecedens probatur. Vel enim illi habitus recipereutur in essentia animæ vel in potentiis? Non in essentia animæ, quia ad sanctificandam animam sufficit gratia habitualis: non potest autem singuli alius finis vel effectus in essentia animæ, ob quem

A illi habitus gratiæ superaddantur. Neque etiam in potentiis, quandoquidem ipsis solum infundi debent habitus qui sint principia supernaturalium actionum: actus vero ad quos spectat gratia sacramentalis ordinatur, sunt ab ipsa ut patebit discurrendo per singulos. Nam actus ad quem gratia baptismalis ordinatur, est conservare vitam spirituales, mitigando fomitem, ne regnet & noceat concupiscentia: hoc autem, ut constat, perficitur per virtutes morales, quæ appetitum sensitivum subjiciunt rationi. Actus gratiæ Confirmationis est constanter profiteri fidem professio autem fidei inter actus externos habet numeratur à D. Thoma 2.2. quæst. 3. art. 1. Actus gratiæ Eucharistiæ est augere & nutrire spiritum animam, quod maxime fit per actus ferventiores virtutum, quibus gratia & ipsa virtutes augentur. Actus gratiæ Pœnitentiæ est peccata præterita plangere, pro peccatis temporalibus satisfactionem facere, peccata, & peccatorum occasiones vitare; ad quæ sufficiunt gratia, virtutes, & dona, cum auxiliis actualibus. Actus gratiæ Ordinis est cum debita intentione, attentione, & devotione, cultum divinum exercere, & præcipue ministrare sacramenta, ad quæ character & virtus religionis sufficiunt. Actus gratiæ Extremæ Unctionis est auferre reliquias peccatorum, quæ sunt quidam animi torpor, sive languor, erigendo animam in spem, & firmam fiduciam divinæ misericordie contra diaboli tentationes, sique ad introitum gloriæ disponere; quod potest fieri per spem, perseverantiam, & fortitudinem. Denique actus gratiæ Matrimonij, sunt castè vivere, fidem mutuum servare, seque mutuis officiis fovere; ad quæ sufficiunt iustitia, charitas, & castitas, sive continentia.

Dico tertio: Gratia sacramentalis non addit præter gratiam gratum facientem, modum aliquem seu perfectionem aliquam intrinsecam, modaliter à gratia habituali, & virtutibus, ac donis ipsam concomitantibus distinctam, sed dumtaxat jus ad specialia auxilia, ad actiones sacramentales exercendas necessaria.

D Colligitur ex D. Thoma hic art. 2. ubi quæritur, quid gratia sacramentalis addat super gratiam communiter dictam; Et nullâ factâ mentione alicujus modi intrinseci, solum dicit addere quoddam auxilium divinum ad consequendum hoc sacramenti. Deinde modus intrinsecus gratiæ habituali superadditus, ad actiones sacramentales exercendas non est necessarius; ut enim conclusione præcedenti ostendimus, discurrendo per singula sacramenta, ad eliciendas actiones sacramentales cuilibet sacramento proprias, sufficiunt gratia habitualis, cum virtutibus & donis ipsam concomitantibus, atque specialibus auxiliis ad operandum requisitis: Ergo frustra admittitur modus aliquis, seu perfectio aliqua intrinseca, modaliter distincta à gratia habituali, & virtutibus ac donis ipsam concomitantibus, subindeque gratia sacramentalis addet solum supra gratiam, virtutes, & dona, jus quoddam ad specialia auxilia quæ Deus confert his qui susceperunt sacramenta, quando illis auxiliis opus habent in ordine ad proprium finem cujuslibet sacramenti, ut patebit discurrendo per singula sacramenta.

In Baptismo ergo, præter gratiam habituales, confertur jus quoddam ad auxilia quibus homo juvetur ad rectè & religiosè suscipiendâ sacramenta, quod est proprius finis Baptismi.

Confirmatione, præter augmentum gratiæ sanctificantis, datur jus ad specialia auxilia, quibus homo inclinetur, etiam cum periculo vitæ, ad fidem constanter profitendam; ad quam perfectionem fidei ritè exercendam, tanquam ad suum finem, Confirmatio ordinatur. In sacramento Eucharistiæ, præter augmentum gratiæ, datur speciale auxilium ad actus charitatis & devotionis, quibus anima spiritaliter nutritur; quæ nutritio charitatis est proprius finis Eucharistiæ. Pœnitentiæ, præter gratiam habitualement, quæ confert remissionem peccatorum actualium, tribuit insuper auxilium ad indignationem aliquam contra seipsum, & satisfactionem Deo exhibendam pro peccatis præteritis, & ad evitanda futura. Extrema Unctio, præter augmentum gratiæ habitualis, confert jus ad auxilia specialia homini solatium interius affertia, ad languorem ex morbo & afflictione corporis provenientes, mitigandum, & simul ad vincendas Dæmonum tentationes, quæ tunc gravissimæ sunt, & molestæ. In sacramento Ordinis datur augmentum gratiæ, & simul jus ad auxilia pro bono usu officii suscepti necessaria. Denique Matrimonium, præter augmentum gratiæ, confert auxilium ad frandam carnis libidinem, fidelitatem conjugalem servandam, curamque de prole habendam.

Dixi gratiam sacramentalem addere jus ad auxilium, non verò ipsum auxilium, quia cum gratia sacramentalis conferatur in susceptione sacramenti, auxilium verò, quia est aliquid transiens, non datur nisi quando exercenda est actio sacramentalis, consequenter dicendum est, gratiam sacramentalem non addere auxilium in actu secundo, sed in actu primo; id est jus morale ad auxilium in actu secundo, quod jus actû confertur, cum suscipitur sacramentum. Et hoc sensu intelligendus est D. Thomas, cum hic art. 2. dicit gratiam sacramentalem addere auxilium supra habitualement.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

Obijciens primò contra istam conclusionem: D. Thomas hic art. 2. ad 3. ait quod ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Sed species addit supra genus aliquid intrinsecum: Ergo & gratia sacramentalis aliquid intrinsecum superaddit gratiæ habituali, & non solum auxilia extrinseca.

Secundò, Habens gratiam sacramentalem potest eam uti ad libitum, sicut ille qui habet gratiam habitualement: Sed si nihil gratiæ habituali superadderet, præter auxilia actualia, per modum transiens collata, non posset eam habens uti ipsa pro libito & voluntate sua; ad hoc enim necessarium esset, quod illa auxilia essent sicut habitus permanentia in habente gratiam sacramentalem, quod tamen est contra eorum naturam: Ergo gratia sacramentalis gratiæ habituali aliquid præter auxilia actualia superaddit.

Tertiò, Auxilia specialia uni sacramento debent esse magis proportionata gratiæ habituali quæ confertur in illo, quam gratiæ habituali quæ recipitur in alio sacramento: Sed non apparet quomodo hæc proportio salvari possit, nisi gratia habeat in uno sacramento intrinsecam perfectionem, quam non habeat in alio: Ergo gratia sa-

cramentalis aliquam perfectionem intrinsecam gratiæ habituali superaddit.

Ad primum respondent Cajetanus & Scoto, D. 208.

Thomam per gratiam communiter dictam intelligere gratiam, prout abstrahit ab habituali & actuali, & sic non esse mirum, si gratia sacramentalis se habeat ad illam, sicut species ad genus. Sed hæc solutio, seu interpretatio, a mente D. Thomæ profus aliena est; manifestum enim est, D. Thomam per gratiam communiter dictam, gratiam habitualement intelligere, de hac enim procedit titulus, & corpus articuli, nec non argumentum quod tertio loco sibi objicit, ut textum legenti patebit. Unde melius respondetur, D. Thomam verbis citatis solum velle, gratiam sacramentalem se habere ad gratiam habitualement, sicut speciem ad genus, quia sicut species addit aliquid ad rationem generis, ita gratia sacramentalis addit supra gratiam habitualement jus ad specialia quædam auxilia, ad proprios effectus sacramentorum producendos proportionata; & secundum hoc gratia illa, quamvis una essentialiter, in diversas tamen contrahitur species accidentales, sicque est effectus nostrorum sacramentorum. Ponit ergo S. Doctor exemplum de genere & specie ad hoc tantum ut ostendat gratiam sacramentalem addere supra gratiam habitualement, sicut species addit ad genus, non verò intendit quod licet species addit ad genus perfectionem essentialiter & intrinsecam, ita & gratia sacramentalis ad gratiam habitualement, comparatio enim non debet tenere in omnibus.

Ad secundum nego Minorem, ut enim qui recipit sacramentum uti possit ad libitum gratia in eo recepta, sufficit quod habeat jus speciale ad auxilia toties à Deo recipienda, quoties occurrit occasio utendi tali gratiâ ad finem proprium sacramento.

Ad tertium respondeo similiter, jus speciale quod habet gratia gratum faciens in uno sacramento ad actus ei proprios, ex eo quod conferatur specialiter in ordine ad illos, tribuere ipsi maiorem proportionem cum illis auxiliis in illo sacramento, quam in alio.

Ex his inferes primò, quod licet Deus aliis qui sacramenta non suscipiunt, non soleat auxiliis deesse, quibus in operibus ad quæ tenentur, adjuvantur; specialiter tamen titulo adest illis qui sacramenta suscipiunt, ratione scilicet juris specialis, quod ipsis gratia sacramentalis tribuit ad auxilia pro actibus specialibus sacramentorum necessaria.

Inferes secundò, gratias sacramentales dici posse distinguere inter se specie, non quidem physica, aut ratione gratiæ habitualis, quæ specie, multiplicabilis est, sed specie morali, ratione juris annexi ad auxilia specie diversa.

Querunt hic aliqui Authores, an gratiæ sacramentales dari possint extra sacramenta? Cui interrogationi breviter respondeo, quod licet extra sacramenta non conferatur character, qui solet à quibusdam imprimi, potest tamen conferri eadem gratia, & credibile est multis fuisse collatam per solum Baptismi votum, eandem gratiam quam solet conferre ipse Baptismus: cuius evidens signum est, quod olim in primitiva Ecclesia, non suscipiebatur Baptismus usque ad virilem ætatem, quod magno fuisset fidelibus præiudicio, si per votum Baptismi non potuissent eandem habere gratiam, quam per realem ipsius receptionem fuissent consecuti. Nec tamen

Inde sequitur, superfluum esse susceptionem sacramentorum, quia facilius recipiuntur in re, quam habeatur votum ipsorum, absolute loquendo; tale enim votum importat necessarium contritionem. Adde quod, per realem susceptionem gratia sacramentalis datur ex opere operato, ac verò extra sacramentum, ex opere operantis.

Quærit D. Thomas articulo ultimo hujus questionis, utrum sacramenta veteris legis gratiam causarent? Sed de hoc commodius dicemus Tractatu sequenti, ubi agemus de circumcisione, & an illa gratiam causaverit, declarabimus. Unde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem inutiliter repetamus.

DISPUTATIO IV.

De charactere Sacramentali.

Ad quæst. 63. D. Thomæ.

Quia sunt aliqua sacramenta in lege nova, quæ præter effectum communem omnibus, videlicet gratiam, habent causare characterem, postquam S. Doctor de gratia sacramentali differuit, agit de charactere sacramentali, utpote secundario, & minus principali sacramentorum novæ legis effectus. Circa illum verò celebres occurrunt difficultates & controversiæ, articulis sequentibus resolvendæ.

ARTICULVS I.

An & quæ sacramenta novæ legis imprimant characterem?

Character est nomen græcum, idem significans ac signum quo solet res aliqua signari vel ut agnoscat, & ab aliis distinguatur, sicut signari solet servus, aut ovis; vel ut usui publico deputetur, sicut signatur pecunia sigillo regio; vel ut ad aliquod officium destinetur, sicut olim qui militiæ nomen dabant, notâ aliqua insigniebantur, quæ character militaris dicebatur. Unde character propriè supponit pro resensibili, à Theologis tamen transfertur ad significandum signaculum quoddam, quo Christiani in susceptione quorundam sacramentorum, cultui divino deputantur. Quærimus ergo, an, & quæ sacramenta novæ legis, tale signaculum seu characterem imprimant; in sacramentis enim veteris legis, non fuisse aliquem specialem characterem impressum, docent communiter Theologi cum D. Thomâ articulo 1. ad 3. ubi sic ait: Sacramenta veteris legis non habebant in se spirituales virtutes, ad aliquem spirituales effectus operantes; & ideo in illis sacramentis non reperiebantur aliqui spirituales characteres, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio quam Apostolus signaculum nominat Rom. an. 4. Unde Chrysostomus homil. 2. in Epist. ad Ephes. loquens de judæis: Ob signati sunt (inquit) Israelitæ, sed circumcisio, quemadmodum pecudes. His verbis significans signaculum quo judæi à Gentilibus secernebantur, fuisse tantum, sicut in pecudibus, corporale, non verò spirituale, sicut in Christianis.

A

§. I.

Duplici conclusione proposita diffinitur & resolvitur.

Dico primò, aliqua sacramenta novæ legis imprimere characterem.

Conclusio est certa de fide, definita in cap. Maiore, de Baptismo, & in Concilio Florentino in Decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 9 ubi sic dicitur: Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non primi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelibile, unde ea iterum non possunt, anathema sit.

Quamvis autem existentia characteris contra Hæreticos eam negantes non possit evidenter probari ex Scriptura, necladduci expresse illud quod illius testimonium; probabiliter tamen suaderi potest ex illo Apostoli, 2 ad Corinth. 1. Qui unxit nos Deus est, & qui significavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris: nec enim tunc illi effectus, quos ibi enumerat Apostolus, mirum signatio, unctio, & pignus, non incongruè ad gratiam sanctificantem referri possunt, nam illa unguimur, & in filios Dei signamur, illud pignus est atque arrha gloriæ futuræ; placet tamen ex SS. Patribus, signationem illam quæ fit in Baptismo, de quo ibi loquitur Apostolus, distinguunt à gratia; dicunt enim characterem illum impressum per Baptismum, reperiri in eis qui carent gratia sanctificante, & qui posterius obicem suæ justificationi, per peccatum infidelitatis, Ita Augustinus lib. 6 de Baptismo contra Donatistas cap. 1. ubi ait: Auctoritate Ecclesiæ in Conciliis generalibus constare, ovem quæ sita erat, & dominicum characterem à salubris depravatione acceperat in Baptismo, venientem ad Christianam vitam salutem, ab errore corrigi, & dominicum characterem in eo agnoscere, nec imprimi. Et Tract. 1. in locum, dicit quod si Baptizatus charitatem non habuit, habet tamen characterem impressum, sed deservit regnum. Item vetustus Scriptor, Haymo nomine, dicit eundem locum Apostoli, Deum dando hoc signum seu signaculum, facere nos genus electum, & iam tunc cum boni non sumus: quod tamen falsum esset, si illa ob signatio de qua loquitur Paulus loco citato, esset effectus gratiæ, sumus enim boni per gratiam.

Favent etiam alii SS. Patres: Cyrillus enim Ierosolymitanus præfat. in Catecheses vocat Baptismum, signaculum sanctum & indelibile, quod non potest intelligi de gratia, utpote delibili per peccatum. Epiphanius lib. 1. Tomi præfati contra hæreses, hæresi 8 sic habet: Baptismus circumcidit nos à peccatis, & ob signat nos in nomine Domini. Quibus verbis, non solum characterem à gratia remissionis peccatorum distinguit, sed etiam analogia figuræ & veritatis, Circumcisionis & Baptismi, confirmat nostram doctrinam; in Circumcisione enim gratia infusa debatur, & nota quædam in parte corporis relinquebatur, ut igitur veritas ipsa respondeat figuræ, per Baptismum non solum gratiam dari oportet, sed etiam signum aliquod, quod cum non sit corporale, quia transacto Baptismo nihil corporale remanet, oportet quod sit spirituale.

Confirmatur ex aliis SS. Patribus, quæ præfati characterem sacramentalem agnoscunt, in primis enim Dionysius Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 1. cum